

Quaestio IV

An uti proprie voluntati conveniat?

Convincitur demum, ipsum uti (cum nihil aliud sit, quam super ea, quae sunt ad finem, actu voluntatis in ordine ad ipsum pertransire) ad solam voluntatem pertinere. Unde cum Deo uti non deceat, necessario sequitur omnibus aliis ab eo esse utendum.

UTRUM UTI proprie conveniat voluntati? Et videtur, quod non, quia uti est aliquid in finem referre. Sed referre proprie pertinet ad rationem, ergo etc. CONTRA Augustinum 10 De Trinitate ait¹, quod *usus ad solam voluntatem pertinet*. Hic primo videndum est quid sic uti. Secundo, cuius potentiae sit uti. Tertio, utrum Deo sit utendum. Et quarto, utrum omnibus citra Deum sit utendum.

QUANTUM ad primum dico quod uti est super ea, quae sunt ad finem transire actu voluntatis in ordine ad ipsum finem. Et notanter dico transpire, quia quamvis actu fruitionis tendamus in ipsum finem, quem ulterius in nihil aliud referentes, ultimate in ipso quiescimus tamen, quia nullus ordinatus amor quiescit in his, quae sunt ad finem. Ideo actus utendi, qui proprie est circa ea, quae sunt ad finem, debet esse in transitu, sicut actus fruitionis est in quiete. Et quia aliqui sunt perversi et inordinati amatores, quiescentes in his, quae sunt ad finem magis, quam in ipso fine, ideo propter tales ait Augustinus 83 quaestione² quod *tota perversitas est uti fruendis, et frui utendis*. FORTE DICETUR quod Apostolus in epistola ad Philomonem ait: *Ita ego te, frater, fruar in Domino*. Cum ergo frater non sit finis, sed ad finem, ergo non videtur quod omnia, quae sunt ad finem in transitu, praedicto modo utendo, diligere debeamus, sed etiam in ipsis quiescere possimus ipsis fruendo absque perversitate. RESPONDEO cum Augustino in libro De Doctrina Christiana³: *Cum homine in Domino frueris Deo potius, quam homine frueris*. Etiam ex ipso verbo Apostoli cum ait: *Te fruar in Domino*, patet quod amor suus non quievit in fratre, sed in eo, quod est ad finem, sed transiens, fratrem ipsum referebat ad Dominum, seu ad ipsum finem.

QUANTUM ad secundum articulum dicendum quod, proprie loquendo de uti, tunc ad solam voluntatem spectat actus utendi, quia velle seu diligere ea, quae sunt ad finem in ordine ad finem, est actus solius voluntatis. Sed uti, ut patet ex praecedentibus, est huiusmodi, ergo etc. 2. Praeterea, ista est intentio Augustini 10 De Trinitate ubi ait⁴ quod *usus ad solam voluntatem pertinet*. Praeterea, illius potentiae proprie est usus, cuius proprium est libere applicare res quascunque suo debito exercitio. Sed voluntas est huiusmodi, ergo etc. 4. Praeterea, illius potentiae est uti, cuius est abuti, quia opposita apta nata sunt fieri circa idem. Sed abusus, sive peccatum imputatur principaliter voluntati, ergo etc. 5. Praeterea, cuius est frui, eius etiam est uti, quia eadem potentia est respectu finis, et eorum quae sunt ad finem. Sed voluntatis est proprium frui, ut patuit superius, ergo voluntatis proprie erit uti. SED CONTRA ista videtur esse Victorinus, qui ait quod usus est actus a potentia frequenter elicitus. Sed quaelibet potentia potest actum suum frequenter elicere, ergo uti videtur actus esse cuiuslibet potentiae. DICENDUM quod Victorinus non loquitur proprie de usu, se large, secundum quem modum dicitur in libris Topicorum. Cuius usus bonus est, ipsum quoque bonum est. [90a]* QUANTUM ad tertium principale dicendum quod Deo non debemus uti, quia illud, quod est proprium obiectum fruitionis, illo non est utendum. Sed Deus est proprium obiectum fruitionis, ut patet

¹ Cap. 11

² Quaest. 30

³ Cap. 33 tom. 3

⁴ Cap. 11

ex praecedentibus, ergo etc. 2. Praeterea, illud, quod nequaquam potest referri in maius bonum, illo non est utendum. Sed Deus non potest referri in maius bonum, ergo etc. Maior est nota ex praedictis, minor etiam patet, quia Deus est ultimus finis, et est omnis boni bonum, ut ait Augustinus, in libro De Trinitate⁵. FORTE DICETUR, quod secundum glossam super illud Lucae 15, *Quanti mercenarii in domo* etc. Recte potest serviri Deo intuitu mercedis, sed nullus recte servit Deo, nisi diligens Deum, ergo recte potest diligere Deus propter mercedem. Et sic Deus diligitur transeunter et in ordine ad aliud, quod est proprie uti, ut patet ex praedictis. RESPONDEO quod, Deum diligere propter mercedem, potest dupliciter intelligi. Uno modo propter mercedem aeternam et sic diligitur propter seipsum; quia ipse est merces et corona sanctorum omnium, ut patet per beatum Augustinum in libro Soliloquiorum. Alio modo propter mercedem temporalem. Primo modo procedit verbum assumptum de glossa, quia ut sic homo non servit Deum propter alterum, sed propter seipsum. Secundo modo homo peccat mortaliter, maxime si finaliter eius voluntas quiesceret in illa temporali mercede, quia tunc uteretur fruendo et frueretur utendo, quod est tota perversitas.

QUANTUM ad quartum principale dicendum quod omnibus uti possumus, quae sunt citra Deum, quia omnibus uti debemus, quibus promoveri possumus ad consecutionem ultimi finis. Sed omnia, quae sunt citra Deum, ordinate assumpta in facultatem voluntatis nostrae, aliquo modo nos poterunt promovere ad ultimi finis consecutionem, ergo etc. FORTE DICETUR quod multa sunt citra Deum, quae non sunt in potestate nostra. Ideo talia non possunt assumi in facultatem voluntatis nostrae, nec per consequens ipsis uti poterimus. 2. Praeterea, mortali peccato nullus potest bene uti, ipsum assumendo in facultatem voluntatis. 3. Praeterea, divitiae et prosperitates temporales non solum non promovent, immo multos impediunt a consecutione finis, ergo ipsis non est utendum. DICENDUM quod aliquid potest venire in facultatem voluntatis nostrae quinque modis. Primo modo, ut voluntas se habet per modum imperantis et ordinantis. Secundo modo, per modum approbantis. Tertio, per modum collaudantis. Quarto, per modum tolerantis. Quinto, per modum refutantis. Prima sunt bona nostra propria. Secunda sunt proximorum nostrorum bona. Tertia sunt caelum et Angeli et cetera similia, quae quamvis sint supra nos, tamen talia in facultatem voluntatis accipimus; cum ex ipsis moti, creatorem eorum laudamus. Quarta sunt mala poenae. Quinta sunt mala culpa, quae etiam cooperantur electis in bonum, secundum quod dicit glossam super illud verbum Apostoli⁶: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*. Et per hoc patet ad primum et secundum argumentum. Ad tertium dicendum quod, licet divitiae et temporales prosperitates sint malis hominibus impedimentum, eo quod talibus non utantur debite, sed magis abutantur, tamen bonis hominibus non sunt impedimentum, sed potius adiuvamentum virtutis, ut ait Ambrosius super Evangelium Lucae, tractans historiam de Zachaeo.

AD ARGUMENTUM principale dicendum quod non quodcunque referre dicitur usus, sed referre cum executionis imperio. Hoc autem ad solam voluntatem pertinent, quia, ut ait Anselmus De conceptu virginali⁷, *Ceteris potentiis lex a creatore imposita est, ut imperio voluntatis resistere non possint*. Propter quod ait Damascenus libro 2 quod *usus nihil aliud est quam rerum pertractatio iuxta imperium voluntatis*. [90b] *

⁵ Cap. 3 tom. 3

⁶ Rom 8

⁷ Cap. 4